



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate
Libri Septem**

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

Quod non tam plagis, & uerberibus, quam admonitionibus, atque exemplis
pueri sint instituendae cap. xiii

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

DE PUDICITIA MATRIMONII.

sitiendo, algendo, æstuandoq; exerceri solebit. Nihil enim peius esse censemant quam pueros desidia ocioq; torpescere. Hic autem arbitror expedire, ut pueri illis potissimum lusibus, ac laboribus exerceantur, qui neque illas liberales sint, necq; multum periculosi: sed tales, ut meditationes et exercitaciones appareant eorum, quæ ab his serio postmodum sint agenda: et qui ad robur, et sanitatem æque faciant, non autem ad inanem tantum alacritatem, et lusum. Puerorum siquidem maxime proprium est ludere, unde Cicero. At pueri, inquit etiam qui cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur.

Quod non tam plagis, et uerberibus, quam admonitionibus, atque exemplis pueri sint instituendi. Cap. X I I I I.

IN tenella quidem ætate (ut dixi) liberi primum cōmentitiis quibusdam terriculis, ac ferulis etiam interdum leuibus, à quacunque specie mali deterredi sunt: at postmodum effecti grandiusculi, nontam plagis, ac uerberibus, quam exemplis, ac piis admonitionibus ad honesta studiatam à parentibus quam etiam à præceptoribus inducendi. Ea enim magis seruos deceperunt, præcipue ingenuos, qui nunc laudibus, nunc obiurgationibus et iniecta crebro æmulatione æ qualium, excitandi sunt ad splendorem: gloriamq; uirtutum. Lycō Trondensis philosophus asserebat adiungendum esse necessario pueris pudorem, et laudis studium: uelut equis carcer, et frenum. Constat enim adolescētes liberaliter educatos, et ingenuos magis laudis honore, et æmulatione uirtutum proficere quam præceptis: ac tursum uerecudia, et admonitionibus magis quam plagis usq; adeo ut quos sæpe tormenta non uicerint, uincat æmulatione pudor: Non eo inficias in instituēdis recte liberis, et uerberibus quoque interdum utendum esse, si conducti

alioqui

L I B E R S E X T U S .

225

alioqui moribus uideatur: ne forte interim pueri educantur, & edolescant indomiti, & effrænes, feranturque ad oes iniurias postea proniores. Verum id ita puto & opus portune, & moderate esse faciendum, ut non in ultionē, sed ad castigationem a parentibus seu p̄ceptoribus factum esse uideatur. Nam quemadmodum monitis, & adhortationibus (ut dicebam) excitantur quidam ad honestatem, ita flagris, ac uerberibus absterrētur plætricq; à turpibus. Condonanda uero quædam interdum sunt adolescentiæ, atq; ad quædam etiam conniuendum, quæ nō sint eis admodum turpia, quædam autem omnino castiganda, & acri animaduersione plectenda: sicut melius conducere adolescentium moribus uidebitur. Sed interea ubi id sit, iram celerem, potius quam grauem suscipere parentes decet: atq; omnino rigorem hostilis iracundia, lenitate, ac mansuetudine patria temperare. Scitū est illud comicum uerbum, Pro peccato magno paululū suppliciis satiatī est patri, Sed neque ulla tā acerba patris oburgatio esse debet, ut quædam etiam paterni affectus nō habeat impressa uestigia. Atqui uero tum demum scias castigationem, ac institutionem tuam liberis tuis prodesse posse, si uacet inuidia, & pudore caret. Quod fit, si ille quod in filiis castigas, non tu ipse prius commiseris: & quod uerbis obiurgas, cōtrariis subinde moribus nō suadeas. Nam (iuxta illud.)

Vnde tibi frontem libertatemq; parentis,
Quum facias peiora senex!

Et alibi

Plurima sunt Fuscine & fama digna sinistra.
Et nitidis maculam, ac rugam singentia rebus.
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntq; parentes.
Corripitur icclreco apud comicum poetam Chremes à fratre acriter his uerbis. Adeon hoc indignum tibi uides, filius adolescentis si habet unam concubinam, tu uxores duas! Nihil pudet: Quo ore eum obiurgabis: Scite

F F

DE PUDICITIA MATRIMONII.

atq; præclare quidem etiam pater ille Vergilianus ad suis
lum. Disce inquit, puer uirtutem ex me, fortunā ex aliis.
Nullum profecto in ea ætate proponi potest pueris ex eis
plum probabilius ad imitandum, q; parentis. Quāobrē
ita s̄epe effingere solent liberi ingenium, ac mores, et ge-
nus parentum, ut possint illi ipsi parentes mores suos &
expressam imaginem uitæ præteritæ in suis rursum filii
agnoscere. Faciles siquidem oēs sumus natura ad æmu-
landum dicta, factaq; eorum, quos maxime diligimus,
ac obseruamus. Vnde fit, ut perraro liberi à disciplina
parentum degenerent. Quo circa (ut ait Cicerō) solent
adolescentes quorum patres, aut maiores aliqua gloria
præstiterunt, in eodem fere genere laudis uersari: & ad
eorum consuetudinem, mores q; deduci: emulariq; ipso-
sos, atq; plerūq; etiam excellere: ut Q. Mutius, & P.
filius in iure ciuilli. P. Africanus. P. filius ī re militari. Q. uis-
dam etiam ad eas laudes, quas à parentibus accepimus
addunt aliquam suam, ut hic idem Africanus eloquentia
accumulauit bellicam gloriam. Idem fecit & Thimo-
teus Coronis filius, qui quum belli laude non fuerit infe-
rior patre, ad eam laudem & doctrinæ, & ingenii gloria
adiecit. Sed quis ignorat nostro quoq; seculo repertini q; q;
plurimos homines, qui parentibus, maioribusq; suis, aut
pare, aut excelsiores fuerunt. Parentibus ergo p̄ curan-
dum est, si recte liberos suos institui uelint, ut tales sele-
exhibeant, quales eos ipsos euadere cupiunt: & quales
efficere illos omni studio, atq; impensa laborant.

Pueros, pro ingenio quemq; suo, honestis stu-
diis, officiisq; tradendos. Cap.XV.

Considerandum insuper à parentibus, ac diligenter
quidem examinandum, quo quisq; filiorum
suum sit natus ingenio, ne quid aduersis auspi-
ciis, & inuita (ut aiunt) Minerua aggredi temere molant-